

48

# Rectoratsreden

VON

Adolf Friedrich Rudorff,

d. Z. Rector der Königl. Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin.

- I. Antrittsrede am 15. Oktober 1857 gehalten.
- II. Oratio natalicis Regis conditoris celebrandis d. III. M. Aug. a. MDCCCLVIII habita. De iuris scholarum et meritis et officiis.



Berlin.

Gedruckt in der Buchdruckerei der Königl. Akademie der Wissenschaften.

1858.

Rectoratsrede vom 3. August 1858.

Rudolf, Adolf Friedric: Oratio natalicis Regis cauditoria  
celebrandis d. III. 7. Aug. a. 1858.

## II.

**S**i iustae unquam debitaque benefico principi ab ulla bonarum artium schola decretae grates fuerunt, auditores suo quisque ordine honoratissimi, eae sunt profecto, quibus nos rite celebrandis stata haec regi conditori sollempnia dedicavimus.

Quamquam enim generosae principum stirpi, quorum auspicio imperio ducti rerum nostrarum commissa summa est, illud gentilicium fuit antiquibus, quod Fridericus tertius elector, qui postea princeps Borussiae rex imperavit, regis nostri clementissimi atavus, Ha-lensem scholam conditurus, proposito quondam eisdem verbis edicto significavit „in medio tubarum ac lituorum clangore musarum templa excitare“, tamen in tanto heroum sese exipientium ordine vix unus exaequaverit infractam rebus adversis ac paeae divinarum ordine vix unus tudinem, quam in statore nobilissimo cuncti admiramur venerabundi.

Etenim rex fortissimus praeclearam hanc omnium disciplinarum palaestram non modo instituire verum etiam aedibus instrumento supellectile stipendiis exornare munificentissime ausus fuit per eam immanitatem temporum, qua potuit consultius videri sibi consuluisse quam artibus tantaque existit laesi ac dolentis at interriti animi constantia, ut neque publica ille infelicitate a consiliis restituendae rei necessariis revocatus sit, nec domestico maerore: si tamen domesticum appellari fas est, quem ex augustissimae reginae, afflictiae patriae sideris, communem universa civitas interitu luctum cepit.

Iam vero ex ipsis miseris quanta effulsit renatae rei felicitas! Nimirum qui mentes hominum tunc acueral acerbissimus at saluberrimus dolor cum esset per nullas populi partes provincias regiones non disseminatus, suo ardore perficit, ex intestina pariter servitute atque exterorum dominatione in libertatem res publica ut adsereretur,

probitas fortitudo pietas fiducia animis reverteretur, quaeque movibundae instar apparuerat recreata ac vitalis suum honorem principatumque denuo Borussia obtineret.

Ergo gravissimis de causis adolescenti suboli, quae se disciplinae nostrae liberaliter instituendam commiserit, imaginem quotannis repraesentamus patris patriae rerumque nostrarum auctoris optimi sapientissimi dilectissimi, qui non satis habuit reflecto exercitu receptis auctisque ditionibus hereditarii regni fines amplificasse nisi etiam ingenii viribus renovatam funditus reliquisset rem publicam. Ac merito sane recolimus memoriam durissimorum eorundemque lactissimorum temporum, quae qui testes experti sunt, eos ex maximo olim summorum virorum numero iam pauciores in dies inter nos supersites nemo est in ordinibus iuniorum quin lacita cum veneratione suscipiat: nam sequentis aevi et tranquillitas et affluentia magnis viris procreandis magnisque perficiendis operibus infeliciores quam singulis quibusque minutatim discutiendis aptior fuisse videtur.

Sed enim ego, auditores amplissimi, quamquam suspicor fore plerosque, qui quem ipsis beati regis natalibus in hoc oratoris gestu positum videant, eius esse existiment, ut praecleara illius facinora praedicet quam possit actuosissime et numerosissime, tamen quo minus hoc pacto partibus meis fungar non tam mea me dicendi imperitia quam muneris mihi inuncti indole, cum primis vero ipsa defuncti principis prohibitum sentio verecundia.

Quamdiu enim tertius ille Augusti mensis dies nos annuorum laborum perpetuitate fessos, urbem, patriam universam, actos ubicumque terrarum civium nostrorum conventus communi perfundeabat lactia, tam diu supersitis etiam tunc regis conditoris praeconium commendatum fuit viro primario, qui est senatus in hac universitate litteraria orator publice constitutus. Eundemque absolutissimum sive Latino ore sive patrio sermone dicendi artificem fere ab ipsis scholae nostrae initiis per longam annorum seriem incredibili sententiarum cum varietate tum subtilitate Friderici Guilelmi tertii virtutes disse-

rentem infinita plerique omnes et delectatione nos prosequi meminimus et admiratione: iam posteaquam pretiosissimas orationes in unum corpus collectas nemo non in manibus habet, qui interfuimus olim denuo oblectamur relegendo. Verum, ex quo beatus rex e rebus humanis excessit, gravis ornatulaeque laudationis festivitas suo iure dicata est natalicis filii augustissimi, regis dominique nostri clementissimi. Hodiernis contra sollerminibus duo relicta officia sunt, quorum alterum grata beneficiorum regis beatissimi recordatione constaret, alterum videretur in festa praemiorum ipsius iussu institutorum renunciatione positum esse. Quodcum commilitonum carissimorum certaminibus haud minor nostri, docentium, laboris testificatio continetur, iam re magis quam verbis observantissimi regionum officiorum principis piis manibus iusta fieri manifestum est. Et ita quidem decentissime, si quid mei iudicii est, re ordinata, huius ipsius gratiarum actionis sine nimio detrimenti periculo rectori universitatis mandari celebratio potuit. A quo cum quaevis alia dos prius exigeretur quam adventicia facundiae orisque, quoties dicendum publice sit, illud imprimis expetitur, semet ipse, collegas conuincissimos, ornatissimam iuventutem officiorum ut admoceat, denique ut magistratum agere malit quam oratorem.

Qua de re, quemadmodum superiore anno ex hac cathedra de scholarum officis generatim, ut philosophum decet, disputavit vir amplissimus, decessor magnificus, ita me, auditores humanissimi, qui eum vitae cursum adhuc tenuerim, qui me abdidit stationibus iura docentium et publice respondentium, pro vestra facilitate seorsum obscuro dicere sinatis: quid iuri excolendo universitates Germaniae praesiterint nobisque praestandum reliquerint. Quod argumentum ab omni declamationis specie, hoc, in quo versamur, et loco et conventu indignissima, longe remolium, ad certum aliquem finem tendere, quin mihi largiatur, futurum arbitror neminem. Sed ne illud quidem vereor, ne sint qui ea de re quaeri negaverint interesse nisi eius ordinis, quo ex ordine ipse detectus magistratus fuero,

cum idem ordo, ut est a societatibus literariis, academiae quae proprie dicuntur, prorsus exclusus, scholarum etiam non nisi particulam efficiat perexigam. Sit ita sane, ut artis vocabula et callidi iuris aenigmata peritorum ingenii reserventur explicanda; at vero legum verecundiam in civitate vigere, iudicia recte exerceri, ad honores et munera civilia non simulatorum servitii sed ingenio peritiacque ascensum esse, nec fortunas existimationem vitam civium ineruditis committi, interest profecto communiter omnium.

Quae autem ars originem remotissimam ad ipsam urbem aeternam refert, ea de arte Latino ore dicturo si quidem in hac urbe intellegentissima, in splendidissimo doctorum virorum consensu aliqua excusatione opus esset, defensum memet iri sperarem et rectoris officio et iuris consulti. Quibus muneribus mihi quidem nunquam non visum fuit illud etiam contineri, uti ne vernaculum universitatum litterarum sermonem gravitate pariter atque elegantia celebrem, post Carolum Lachmannum rectorem aliquandiu apud nos intermissum, veluti quadam longi temporis praescriptione prorsus sinam e publicis actionibus submoveri. Qui enim sermo nondum inclinatio ad utilitatis rationem (ne dicam ad barbariam) saeculo in hoc ipso conventu et custoditus fuit religiosissime et in praemiis renunciandis hodie etiam servatur, in quo sermone dignitas quaedam et praerogativa universitatum Germaniae reposita est haudquaquam contemnenda, eum si ne in defunctorum quidem memoriis retineri placuerit, iam videamus ne immenso rerum quotidianarum gurgite magis magisque immergamur artibusque ornamenta detrahamus honestissima humanitatis.

Et haec quidem, auditores, visa fuerunt praedicenda esse, ne plerisque, sine praescriptione agendo, lite, ut fere dicitur, cecidisse videamur. Nunc de ipsa re, quoad eius tantula temporis mihi dati mora facere potero, dicam remissius quidem et temperatus, sed tamen aperte, sed ingenue et ex animi mei sententia.

Itaque si iuris scholarum, quas inde a decimo quarto saeculo Parisiaca non Bononiensis lege in finibus Germanorum conditas esse scimus, quoniam unius cuiusque rei recta ratio ex historia cognosci optime solet, origines et initia spectaverimus, communi, pontificio, caesareo iuri docendo, non variis patriae consuetudinibus excolendis conditas inveniemus omnes, ut nunc etiam nisi in utroque iure concedi summi honores nusquam soleant. Sed mihi impositam Germanis recipiendi ab Italis communis iuris necessitatem tanquam per indicem demonstrasse sufficiat. Tametsi enim non defuerunt praeposteri patriarum rerum laudatores, qui ipsa artificiosa iuris doctrina et forum et campum contenderint apud nos corruptum esse, tamen non sum copiam, quam poteram, quoniam summam rei in hoc peritissimorum virorum concilio sine mora concessum iri existimo, ulterius persecuturus.

Quodcumque humanitatis artisque initia non civili prudentiae, verum ecclesiae et canonico iuri debere statuerim, vereor ne a me dissentiant plurimi. Est enim pervulgata eorum opinio, qui canonico iure pontificiae solum dominationis non etiam mitioris moris iacta fundamenta fuisse existiment. Verum hi viderint, ne eiusmodi placita historiae refutet auctoritas. Iam enim exeunte decimo quarto saeculo, quo tempore iuris civilis nulladum in scholis Germaniae vestigia reppereris, iam tunc, inquam, ordinis eremitarum divi Augustini provinciam quandam eundemque Parisiacum fortasse magistrum, decadico suo (id enim libello nomen dederat) vetustissimas Saxonum consuetudines velut in arce et metropoli sua incessivisse accuratis nuper effectum est disquisitionibus. Iam ut facilius discernas, utrum ius ante quinque saecula a partibus steterit humanitatis. Quaecumque enim in memorabili illo patrii cum communi iure conflictu ut barbara, ut superstitiosa Gregorius pontifex notavit, (quorum numero sunt armorum iudicia, iuris iurandi usus, restricta gentilicis iuribus testamenti factio, diversa masculorum et feminarum in hereditatibus quae ab intestato deferuntur conditio quacumque id genus alia sunt

communi Christianorum legi repugnancia) ea omnia, quantumvis licet septingentaria observatione atque etiam ficticio quodam ipsius Caroli magni Saxonum quondam domitoris submixta privilegio, iam nemo dubitat quin ex horrido ferocissimae olim atque idolorum tenacissimae gentis et iuris et iudiciorum ordine in usu retenta fuerint.

Enim vero ecclesiae auctoritas residuam illa quidem in legibus atrocitatem imminuit, verum tamen incivili patrii iuris, publici praesertim, iniquitati mitigandae fortiore opus fuit subsidio. Quippe ut cetera regna, ita vastum Germanorum imperium gentilitatum, ordinum, societatum, in quas, quo sua quisque tectius servarent, dubiis temporibus cives coerant, prope infinitum amplectebatur numerum. Quae corpora quum essent de suis magis privilegiis quam de re publica sollicita, dubitandum non est, quin publicum ius in privati figuras et ipsa regna simulatibus suis in parietinas distractura fuerint, nisi quandam iuris communitatem confici contigisset, qua universae coniunctionis societas sustineri et membrorum multitudo in unum corpus coalescere aliquo modo potuerit. Et hanc quidem consociationem nostra natio lenissimo remedio et allevamento, sine interitus Francogallorum et Britannorum bellis, immo vero, si Helvetiorum et Frisorum defectiones exceperis, sine aliquo fere detrimento assecuta est: recepta videlicet in civitatem et iudicia cum iure Romano polliore humanitate atque eruditione. Viderant quippe maiores nostri, prudentissimi homines, nullum esse ius ad tollenda (ut Georgii Sabinii versiculo continetur) „e patrio barbara iura foro“, ad compescendam corrigendamque consuetudinum iniquitatem, ad frangendam societatum perviciaciam accommodatius, quam commune illud terrarum orbis, tot gentium disiuunctissimarum iam inde antiquitus amplexum utilitates, ipsa origine urbanum et civile, excultum singulari peritorum prudentia, denique veneranda caesarei nominis subnixum auctoritate. Quid ergo est? Quondam ut Graecia capta artem intulerat agresti Latio, sic tunc Roma capta suis artibus quarum iuris cognitionem nemo est quin principem esse consentiat, ferum dormuit

victorem Germanum. Iam ut quicumque post rediiva studia humanitati bene cupiverint, ut civitates rerum copia cum luxu et lautitia affluentes, ut sacrorum emendatores audacissimi, ut principes potentissimi, ii plerique omnes inter artificiosae iuris disciplinae fautores conspicui essent.

Sed interea sacrorum emendatio in diversas denuo orbem terrarum disciderat partes. Etenim occidentales et australes plagas sive Romana incolentium origo, sive vicinia, sive etiam vis metusque in veteris ecclesiae fide retinuit. Recentiores contra septentrionalis et orientalis Germaniae Britanniae Scandinaviae Americae populos innatus Saxonum geni vigor animorum cum superstitionis frenique impatientia propellendis scholasticorum tenebris, aperendis artium fontibus faciliores reddidit. Post quae discidia, si verum mihi dicendum sit, auditores, fessam intestinis partium ferro ignique se invicem persequentium discordiis Germaniam neque pristinam fidem recipere asse nec publici privataeque iuris communionem retinuisse contenderrim. Etenim canonum praecepta et decreta pontificum Vitebergenses iuris consulti tantum quod in his paucissimis iuris figuris quae artis vocabulo receptae dicuntur, salva conservaverunt. Nec Caesaris et dilabentis imperii legibus post abreptas provincias pulcherrimas, interpositis licet artificiosis pacis Westfaliae stipulationibus, suus honor habitus est. Unum solatium remansit quo damna illa aliquatenus compensata fuisse statueris: retentam dico, nec retentam solum verum etiam adauctam mirifice cum libera gravissimis de rebus disquirendi potestate, tum altiore et antiquitatis et artis criticae cognitione communem atque ab omni parte excultam iuris doctrinam. Et hoc pretiosissimum ac fere inaestimabile in tantis rerum perturbationibus communitatis vinculum pignusque maximam partem universitatibus litterariis quaeque primum inter easdem locum obtinent scholis Protestantium debere sine iactationis et arrogantiae crimine sumpserim: tantum interfuit, suppresserisne sacrorum correctionem an promoveris. Iam vero multos equidem circa unam rem ambitus

fecerim, si inter tot tantaque artium domicilia quae singulae scholae quibus prudentiae partibus quorum maxime auctoritate virorum praestiterint exsequi deinceps subtiliter velim. Quamquam sunt, quarum praetermitti sine piculo nomina nequeant. Quis enim ferat Ienensem hodie scholam taciturnam cum Vitebergensi facem quondam novorum studiorum et principem, postea poetarum et philosophorum ingenii, iam post tria saecula instante festo gratulantium concursu celebrem? An vero Altorfinam omitam Genitilis, Giphanii, Donelli meritis, Francogallos etiam civilis sapientiae subtilitate aequiparantem? An Italiam Carolinam quaeque in extremis Germaniae oris primae fere Germanici iuris professiones insituerunt Argentoratensem et Chilontensem? Quo denique pacto Halensis et Georgiae Augustae principatus sileam, philosophiae alterum, alterum historiae quaesitum auxiliis?

Sed satis dixi, auditores, quid scholis Germaniae ius nostrum acceptum retulerit humanitatem, aequabilitatem, communionem, artem, lucem. Nunc, ne dum ipse non languesco, vos defatigem similitudinibus satietate neve in vulgatis creber multisque sim, paucis addam quid nostris relictum officiis esse iudicem.

Nobis Borussiae maximorum fortissimorumque principum ingenua, nobis Fridericus Guilelmus elector, nobis Fridericus rex et ipse huius scholae stator augustissimus intentis omnibus populi nervis, Spartana virtute, praeclearissimis victoris quarum iam fere sollemnina saecularia redeunt, subversi inter parentinas imperii alteram quodammodo Germaniam condiderunt, indole perinde ac situ magnae veterisque Germaniae et per eam universae Europae veluti cardinem. Eius regni post bella novissima quae Francogallorum finibus tanquam obex et propugnaculum obiecta minor pars est, ea priscae Francorum sedes, ipsam Caroli magni regiam, Rhenanorum electorum terras, denique veteris et ecclesiae et imperii hereditatem continet locupletissimam. Maior contra et orientalis Borussiae portio, arx et sedes regni, Slavorum terris partim inaedificata partim imminens Saxonici moris iurisque latam amplectitur ditionem. Eaque sacris

emendatis ita innixa tota est, ut non modo possessionibus veteris ecclesiae amplificata mirifice et ipsa sit, verum etiam origines domicia sacrae reformationis finibus suis circumdet tantum non omnia. Concludit enim loca ubi Martinus Lutherus natus est, ubi cum Philippo Melanchthone docuit, ubi obiit, ubi sepultus est et his sceptis iuratum Erfordiae manum quondam imposuisse reformatorem monti ex hac cathedra sumus identidem. Itaque amborum veteris imperii vicariorum tam Franconici quam Saxonici velut hereditario iure regibus nostris delata officia sunt nec eis in procurandis communi- bus Germaniae utilitatibus defuit quidquam praeter unum nomen imperatoris.

Eiusmodi civitas digna videri debebat, quae suo praecipue iure uteretur. Qua ratione Fridericus rex populo arripotenti pontificis dominatione dudum libero, iam etiam imperatoris exempto iuris dictione ius Borussiae commune dedit, Fridericus Guilelmus tertius rex Francogallorum leges invito trans Rhenum repressit, rex noster benignissimus pro sua liberalitate atque clementia publica iudicia cum iuratis, legum ferendarum potestatem cum optimatibus et legatis sponte partitus est.

At quales illi leges dederunt! acquissimas profecto et populo intelligenti accommodatissimas. Neque enim sine ratione summi regni ordini inscriptum est iuris Romani praecipuum, quod summi iubet cuique tribuere. Eique legi tum demum magnanimi principes sibi visi sunt satis fecisse, si pulsus undique gentium Protestantibus effugia aperuissent, si miserimas evangelicorum inter se rixas pia fraternam digna Christiano nomine unione atque consociatione composuissent, si catholicis plus etiam quam exteri eiusdem confessionis principes non dico evangelicis sed suis induluissent, si agros decumis, servitiis aratores levassent, denique si omnes ordines communi militaria, eisdem numeribus, paribus studiis sibi patriaeque devinxissent. Iam ut perspicuas quam constante et perpetua summi cuique tribuendi voluntate beatus rex promeritus sit, ut iusti cognomine decoretur.

Sed in legibus exercendis corrigendis supplendis, in suadendis dissuadendisve iuris studiis quae civitatis partes sunt, eas ego, ne dicar publicae causae praedivitiis fecisse, immotas relinquam sedulo. Unum attingam scholarum quod commissum fidei atque diligentiae est. Ex quo genere gravissima olim iurisque cum excolendo tum temperando utilissima res iam profligata ac paene sublata esse videtur. Quippe responsa iuris consultorum augustioribus indies finibus circumscribuntur, iam ut instet tempus, quo inventa nova rei forma opus fuerit, coniunctis fortasse ordinum et summorum tribunalium operis. Eo diligentius cavendum puto, ne quid in ceteris officiis quae scribendo et instituendo consistunt, detrimenti accipiamus. Quo periculo non erimus originis memores finisque prout huius diei monemur sollempnibus. Etenim non tam ministris condecefaciendis qui iudices caussidici officiales iuris prudentiam aliquando facient, quam arti et excolendae et alius cognoscendae inter curas aerumnasque atrocissimas haec doctrinae sedes instituta est, nec oportet recta ratione initio stabilitum quod fuit, tractu temporis in deteriorem speciem temere immutari. Sane hanc viam commonstrarunt primarii duo clarissimi huius scholae iuris praecipitores a quibus universae artis profectio renovatio est. Quorum alterum manu armis quae haud minus quam ingenii robore strenuum patrii iuris defensorem mirabile fere est celeberrimum historiae opus orsum fuisse anno huius saeculi octavo, nec ut plerique nunc medi aevi admiratores praeteritae sed futurae consultarum Germaniae felicitati. Alteri eidemque tertio huius universitatis rectori, viro excellentissimo, ad senectutem usque unico civilis sapientiae interpreti debemus, quod praematura legum codicis confectione neque errores iuris perpetuavimus nec eruditionis communitatisque vinculum amissimus praestantissimum.

At enim rectoris officio recte functus non sum, auditores amplissimi, si velim in una duntaxat arte consistere, tanto ceterarum, quas profitemur, excluso numero. Itaque quae de illustri ordinis

partibus disputavi nominatim, ea velitis in universum existimare a me proposita esse, cum nullus ordo sit, quin habeat suos inter has imagines, quos gregarii sequantur, duces atque antesignanos. Neque enim meritam regi conditori referemus gratiam neque genio Borussiae, quemposito aspectabili antea has aedes simulacro regio illo atque imperatorio ardore oculorum labores nostros speculari credideris, unquam faciemus satis, visis et nobismet ipsi constiterimus et commendata atque concredita etiam cum aliquo incremento integra restituerimus posteritati. Dixi.

### Annotations.

1. Pag. 16. *disquisitionibus*. Speculum, quod dicitur, Saxorum, quo sacratio observantissima antiquae libertatis natio consuetudinum diversarum multitudinem in unum Germanici iuris veluti consensum concentumque contrahere studuerat, cui legi iam tunc fere omnes Germaniae populi, paucis tantummodo a Teutonici et Suevici speculi auctoribus in australem plagam usum flexis, fundi facti fuerant, illum, inquam, veluti purissimum patrii iuris fontem in ipsa civitate Magdeburgensi, praclarissima Saxoniae arce et metropoli aggregi ausus ille fuit, qui e militiae hodieque superstitie inferioris Saxoniae familia orindus et ipse esset. Rem luculente, ut solet, exposuit Vir Ill. Gustavus Homeyer in Actis Acad. Reg. Berol. a. 1855. sub titulo „Johannes Klenkok wider den Sachsenpiegel“ pag. 377-432. Improbabatur sive ab ipso fratre Joanne sive a Gregorio XI pontifice articulos viginti duos adiecta ibidem pag. 445 tabula continet. Quem vero patria lex centum annis post defensorum nacta est auctorem Informationis, quae dicitur, ex speculo Saxorum, de quo idem vir amplissimus egit in Actis Acad. a. 1857 p. 629-676, is non reprehensorum sed indubitatorum capitum vindicias suscepit.

2. Pag. 17. *in civitatem et iudicia* Quamquam iam Albertus imperator supremae imperii curiae doctos iudices destinaverat (cf. Car. Frid. Erchborn Hist. iur. Germ. III. §. 441. not. e) et sequentes imperatores novis scholis vel legum doctores creandi facultatem concesserant, tamen substititor iuris interpretatio tum denique aliores apud nos radices egit postquam Maximilianus imperator Ordinatione, quae vocatur, Camerali summo iudicio firmius quam antea constituto novam certamque legem dederat, qua lege camerae iudex et assessores imperii quidem leges et communia omnium iura, hoc est caesareum et pontificium, ut indubitatas iudicandi normas per semet ipsos et callere et adhibere iubentur, consuetudinum vero non modo ignorandarum sed etiam rescindendarum, si e re publica esse visum fuerit, potestatem accipiunt plenissimam.

3. Pag. 17. *Georgii Sabini versiculo*. Conditam consiliis Eitelwolffi de Stein (ministro clarissimo cognominem modo an etiam gentilem dicturus sim, haesito), hoc igitur suadente conditam Viadrinam scholam Georgius Sabinus, Marchicus, artium iurisque peritus, Italorum, deinde Melanchthonis, mox soceri sui disciplina formatus, postea primas universitatis Regiomontanae rector, Ioachimo primo congratulatur his versibus „Marchia Caesareis Te legibus auspice gaudens Sustulit e patrio Barbara iura foro“. Qui versus, vulgo quidem Sabino adscripti, quamquam iuris Romani studia in illa schola haud ita uberes fructus tulerunt, significant tamen universae civilis sapientiae in scholis perinde atque in iudiciis et rerum publicarum administratione victoriam. Cff. Disputationes collegarum celeberrimorum Lud.

Eduardi Heydemann, „Die Elemente der Joachimschen Constitution vom Jahre 1527. Berlin 1841 pag. 10. et Rudolphi Gneist, „Das heutige englische Verfassungs- und Verwaltungsgesetz“, I. Berlin 1857. pag. 680. 684.

4. Pag. 18. civitates — affluentes. Statim enim Gryphiswaldensis studii auctor Henricus Rubenow totidem legum quot decretorum doctores ordinarios instituit et Lauenburgam ordo splendidissimus vel solus legitimae scientiae professores ascivit. Proventus singulare ut fuerit, quod Cadomenses, iam recepto iure Romano ad consuetudines suas reversi sunt. Cf. Stintzing, Ulrich Zasius (1857) pag. 86. 325 seqq. 330 seqq.

5. Pag. 18. sacrorum emendatores audacissimi). Latheri et Melanchthonis verba dedit in Hist. iur. Rom. Lips. 1857. Tom. I. p. 364.